

Folium. I.

Generatio et generatio laudabit opera tua.
 et potentiam tuam pronuntiabunt. scribitur ps. cxiij. Cum non sine multa diligencia sanctorum patrum studia temporum decursus supputarunt. non dubium quin magna utilitas ecclesiasticis viris. et precipue illis qui ecclesiasticam potestatem gubernare habent. inde proueniat. nec ulli statui hominum hoc parum prodesse credere. dum est. si temporata mente ad rerum gestarum hystorias. quas ob diurnam memoriam studiosi viri conscripserunt oculos leuent. Quis plerique id minus perspectent. Decet namque viros virtuosos precedentium facta sepe ad memoriam reuocare. ut bonis exemplis discant diuini operibus insistere. ut in malis valeant perditionis scopulum declinare. Verum nisi preciosum a vili separaretur stulta concupiscencia se temperare non valens. in tenebrarum voraginem precipiti cursu mergeretur. Ob hoc sancti doctores videntes quod ad intellectum sacrarum scripturarum et ecclesie regimen. hystoriarum decursus ex parte necessarius esset. simulque omnium gestorum congeries inutilis. tum pro sui magnitudine. tum pro superfluatorum et vilium factorum repetitione superuacua. quasdam nobis hystorias canonisauerunt amputatis fabulis superstitiosis ac genealogiis interminatis que ad rem non pertinent. Sicque factum est per maximos eorum labores. ut pene simul tota temporum hystoria breuissimo studio a quolibet intelligente iam ne dum sine labore. imo cum cordis oblectatione possit incorporari. Secuit quoque ad ornatum scripture. ut hac pulcritudine non careat que omnibus gentibus tanquam lucerna prefulgida in obscuro loco proponenda fuit. Ingenium insuper humanum quod magnifice plura comprehendere facilius potest. hoc delizioso prato diuersorum florum priuari non debuit. in quo varia virtutum exempla reperiens. factaque reproba eque consideres. illa carpe. hec preterire moneretur. Videre enim supermodum est delectabile. qualiter primi nostri patres ex quibus originem duximus instituti fuerunt a summo omnium gubernatore deo. deinde quis decursus eorum. quomodo defecit et profecit rationalis creatura in sapientia. virtute potentia. sanctitate. longeuitate. et sic de alijs. et in omnibus his diuinum regimen admirari. quod sit deus mirabilis in creaturis suis. qui nunquam administrare cessauit illis quos condidit. quanta creatoris largiminitas et misericordia. et quam inscrutabilia diuinorum iudiciorum abyssus. Nec et infinita alia peruolans humana industria pennis quibusdam interne contemplationis. non solum preterita et presentia. sed etiam futura metitur. dum ex similibus ad similia progreditur. cui si bona voluntas adiuncta fuerit. tedio quodam incolatus huius in deum surgit ad laudandum. et regatandum. et contemplandum. cupiens dissolui et esse cum christo in eternum. Incepit ergo hec contemplatio in iocunda contemplatione creaturarum. et finit in feliciores tedio earundem. et appetitu creatoris. iuxta illud ps. Quid enim mihi est in celo et a te quod volui super terram. Tibi autem adhaerere deo bonum est. Hoc forte in preassumpto verbo idez psalmista nobis persuadere nititur. dicens. Generatio et generatio laudabit opera tua. et potentiam tuam pronuntiabunt. Quasi dicat. Per omnia que in mundo casura cernimus. ad te qui nunquam deficiis tendere debemus. Que utique sententia valde accomoda est ad propositum nostrum. Cum enim teste augustinus. plura in sacra scriptura commemorantur que nihil significant et tamen necessaria sunt propter ea que aliquid significant. necesse est talibus ita uti. Quis sterilia sunt. sicut illa que secunda deuotione immediate in deum mentem nostram sub tollunt. alioquin non recte scripturam legimus in qua semper spiritus sanctus loqui credendus est. Sunt ergo arida quo ad superficiem littere. sed grauida quo ad spiritualem intelligentiam. Que autem ita aliena sunt ut nequaquam spiritualiter intelligi possunt. aut non expedit. omni tamen generatione digna sunt propter finem in quem ordiantur. qui est scire et diligere deum. Et de hoc

Proemium

genere videtur esse supputatio annorum. que in sacra hystoria diligentissime annotata continetur. De qua ut idem Augustinus testatur hoc certissime tenendum est. quod tanta est diuina auctoritate roburata. ut omnino falsissimum sit. quidquid ab ea ita discrepat ut cum ea omnino concordari non possit. Que cum ita sint. mirum valde videtur. cur sancte scripture tractatores de hac materia inter se diuersi in pluribus locis usque hodie. ut aut omnino aut vix nequeant concordari. Et redit illa antiqua et famosa questio de translatione. lxx. interpretum. an potius ei standum sit in supputatione annorum. an textui hebreorum quem moyses ille maximus et primus legis promulgator edidit. Sic pertrierunt sancti doctores ingenia sua et quilibet pro captu suo dixit quod sensit. Et quod periculo sum est de magistrorum ecclesie iudicare sententiis ut dicit Iheronimus super danielē. et nimis laboriosum est omnia retere. ideo beda post alios qui studiosius in hac materia sudarunt. elegit modum orationis qui satis concorditer cum Iheronimo et Eusebio. et alijs magis authenticis de his loquitur. et dicit ecclesiam hunc modum tenere. licet alios non reprehendat. quare actum videtur ut hec supputatio magis vulgata sit in libris plurimorum postea scribentium. Augustinus etiam in xv. libro de ciuitate dei multa de his tractat. sed satis dissentit a positione bedę. quod sequebatur exemplaria que tunc magis vulgata fuerunt. ut etiam patet in omelijs suis. et maxime super psalmos. Positio autem orationis et bedę habet. quod a creatione mundi usque ad natiuitatem abrahe fluxerunt anni. iiii. c. lxxviii. secundum septuaginta. Hebrei minus habent. Mcccxxvi. quod secundum biblias correctas iuxta hebraicam veritatem ab adam usque ad natiuitatem abrahe sunt anni tmi. Mccccxlviii. Deinde satis concordant cum hebreis septuaginta interpretes usque ad destructionem templi. que vocatur communiter transmigrationis babilonis. Sequentia tempora non habent ex canonica scriptura. sed ex alijs hystorijs tam iudeorum quam gentilium. Et iterum ibi est diuersitas. sed non nimis magna. Simul igitur colligendo secundum bedam a mundi creatione usque ad christi natiuitatem veniunt anni. v. c. cxcix. et hic est modus ecclesie. Unde usus. Unum tolle datum ad milia quinq; ducentis. Nascenti domino beda dat a prothoplasto. De posteriori discussione huius questionis vide si placeat Augustinum ubi supra. et Iheronimum et alios locis suis. Dicaunt quod breuitati studemus. prolixitas ipsa nobis vitanda est. Colligere namque disposuimus iuvante domino ex pluribus libris fasciculum quendam temporum a mundi creatione usque ad presens. in quo tam sacrę scripturę quam diuersarum aliarum hystoriarum facta. tanquam in memorali quodam compendio religabimus. Faciam proinde iuxta sententiam florii. quod solent qui terrarum situs in breui quasi tabella depingunt. ita totam humani generis imaginem. tempumque decursus in pauculis folijs complectar. Nec mihi scilicet sum aliquid me posuisse quod non in fidedignis hystorijs habeatur. aut alijs libris ecclesiasticorum doctorum. siue quod nunc ex eorum dictis aperte sequatur. Ubi autem dubium fuerit. an sic vel aliter. hoc ipsum etiam ita ut repi pari modo annotaui. Et ne ipsa superficies hystorie deuotis tediosa esset. prepe sententias quasdam floridis finas applicaui ex sanctorum dictis que deuotionem redolent pariter ac doctrinam. Auctoritatem ergo dantes his qui ante nos laborauerunt. nos pro modulo nostro in labores eorum intrauimus. sparsim hinc inde carpentes quod potuimus. Et ut scias quo ordine eos secuti sumus. primo totum tempus veteris testamenti. v. c. lxx. annorum in quinq; etates distinctum reperimus in quodam libello qui ifidoro ascriptus videbatur ubi multum artificialiter procedit deducendo annos mundi usque ad tempora sua scilicet eraclii. qui cepit regnare circa annos domini. dcxii. sed supputationem suam non ordinauit secundum etatem christi. sicut nec orosius. Et hunc sequimur in duobus primis etatibus. similiter et in duabus sequentibus exceptis paucis. quod textus secundum hebraicam veritatem a natiuitate abrahe usque ad captiuitatem babilonicam apud nos magis est correctus et diligentius explanatus. et ideo sequimur eum. parum tamen refert. In quinta etate maiorem laborem habuimus. propter nimiam diuersitatem hystoriarum. et veniam precor. quia iam unum. iam alium prout melius putavi secutus sum. An autem debite singulos annos supputaui.

Folium II.

lectoris iudicium committo. Lineam autem assyriorum et romanorum et aliorum ex diuersis hy-
storis laboriose satis coaptavi. rogans ut si cui transcribere placuerit diligenter obseruet spa-
cia et numerum correspondentem. ne longius aut strictius ponat quod exemplar habet. alioquin
et labor peribit. et fructum non reportabit. eritque opus eo mendosius quo compendiosius nisi
hoc studeat diligenter obseruare. Si autem debite (quod facile arbitramur) hec incorporauerit
non modicum ei prebebit illuminationem ad intelligendam sacram scripturam et libros augu-
stini. et iheronimi. et orosii ac aliorum etc. si vera sunt que in pluribus libellis scripta reperimus.
Porro in sexta etate sequimur cronica martini et vincencij. qui compendiose procedunt et usque
ad tempora sua. Post eos per annos fere. cc. sequor notabilem librum quendam cuius auto-
rem nescio. qui pene usque ad tempora sua extenditur. Que autem de post acta sunt memorie di-
gna. sicut audiuius et vidimus. fideliter prioribus supposuimus. Que omnia in sequenti
bus summa breuitate patebunt. Modus autem procedendi planissimus est. et grossitudi-
ni rusticane adeo amicus ut in pariete quidem depingi eo quod ilico sine omni difficultate
intuentibus se offerat. Depinxi igitur in medio folij circulos cum nominibus personarum
debitis pro quolibet tempore. et infra et supra lineas duas. quarum superior cum numero suo
descendit ab adam usque ad christum iuxta seriem predictorum significans. ut quidquid ex ad-
uerso illius numeri scriptum siue superius siue inferius etiam circa illa tempora factum veri-
similiter credatur. Secunda linea id est inferior retrosum ascendit a christi natiuitate usque
ad mundi creationem. ut eadem facilitate unico numero inspecto sciatur quot annis hoc aut
illud factum sit. ante christi natiuitatem. Quod ideo sic ordinauimus. quia hec era magis soli-
lennis est apud nos. et citius solet requiri. Post christum simul ambe descendunt ad tempus
ra nostra paulatim crescendo. ita ut superior semper ostendat etatem mundi. et inferior etas-
tem christi. quod planissime patebit locis suis. Et quia ex multis libris mendose scriptis mo-
dum hunc non leui labore ad lineam veritatis correximus. obsecramus pro christo lectorem
ne insciuiliter manum ad corrigendum hanc annorum supputationem approbat. nisi prius
toto opere perspecto. Quod non ideo dicimus quasi nulli errauerimus. sed ad auersanduz
de nimia diuersitate doctorum in hac materia. et frequenter positio vnius est inuolutio alte-
rius. Ubi autem errorem inuenit. clementer ignoscat et corrigat ex predictis quos sequimur.
Facile enim in numeris erratur. et sepe negligenter describuntur. et negligentius emendantur.
ut dicit augustinus. xv. libro de ciuitate dei.

Finit prologus.

De numero qui in sequentibus per
litteras exprimitur hec considera.
I monos. v quinq. et deces. du xx vigenos.
et duplat idem. triplicat lx. l quoque sola
Quinquaginta facit. sed nonaginta dat xc.
C dat centenos. sed quingentos tibi dat d.
Dc sexcentos. M mille. c si prefit aufert
Centum. sic numerum debes prescribere totum.

i.	x.	c.	AI.
ij.	xx.	cc.	q.
iii.	xxx.	ccc.	iq.
iiii.	xl.	cccc.	iiij.
v.	l.	d.	v.
vi.	lx.	dc.	vi.
vij.	lxx.	dcc.	vij.
viii.	lxxx.	dccc.	viii.
ix.	xc.	dcccc.	ix.
x.		xel. AI.	x.

A ij